



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. III. Solutio reliquorum argumentorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

Solutio reliquorum argumentorum.

SUMMARIUM.

Ignorantia manet culpabilis, quousque durat debitum morale eam vincendi, n. 116.

Contradictio Celladei, quod omnis veritas sit, & non sit inventu facilis, n. 117.

Rejicio, quod vix sit, qui possit concipere iudicium probabile de sufficienti diligentia, n. 119.

Si omnis veritas est invincibilis, alteruter è SS.

PP. sibi contrarij non fuit humilis &c. n. 120.

An oratio, humilitas, &c. sint simpliciter necessaria pro ignorantia expellenda? ibid.

Est de fide, probabilissimam, et si falsam, excusare, n. 121.

Veritates generales scientiarum sunt inventu faciles; particulares vero difficillima. Ostendo prolixam inductione Theologiae speculativae, & moralis, n. 121. ad 125.

Ut veritates fidei certo revelatae ab omnibus amplectendae, non ita dubie; ita sequenda certo praecepta, non dubie praecepta, n. 126.

Quid necesse ad ignorantiam, ut sit vincibilis? n. 127.

Si tenet quod ait Celladei, nemo negligens converti poterit, n. 130. 131.

Est ignorantia censura non excusaret ab ea incurrenda; ignorantia culpa, si sit invincibilis, semper excusatur, n. 132.

Dari invincibilem juris naturae ignorantiam est verius, n. 134.

DD. n. 135.

Similiter circa res fidei, ibid.

N. 116. **A**D quartum argumentum omitto re-
torionem, tum contra Celladei, sum-
ptam ex ignorantia invincibili sequente ad
originale; tum contra Jansenium, & Baium,
sumptam ex invincibili legis positivae, & fa-
ctorum; tum contra omnes eosdem ex in-
vincibili non sequente ad ullum peccatum.
In forma concedo maiorem, & distinguo
minorem: Omnis ignorantia legis sequens
ad peccatum ut poena, est libera, culpabilis,
& vincibilis, si cognoscatur obligatio ejus
ignorantiae repellendae, & non repellatur,
concedo; si nullatenus obligatio eam igno-
rantiam repellendi deinde advertatur; vel si
advertatur, ea ignorantia prudenter depo-
natur, est vincibilis, & culpabilis moraliter,
nego minorem, & consequentiam. Ad pro-
bationem distinguo maiorem: Omnis igno-
rantia, quae vinci potuit, & debuit, & non
victa fuit, est culpabilis, usque dum durat
cognitio, seu potentia moralis, & debitum

morale eam vincendi; id est, usque dum du-
rat cognitio obligans eam vincere, concedo
maiorem; remota ea cognitione proponente
eam obligationem, nego maiorem, & di-
stinguo minorem: omnis consequens vinci
potuit, concedo minorem; vinci potest nunc,
nego minorem, & distinguo consequens:
fuit culpabilis, si cognita fuit obligatio eam
vincendi, concedo consequentiam; est cul-
pabilis nunc, deficiente omni advertentia
obligationis, nego consequentiam. Tota do-
ctrina constat ex responsionibus anteceden-
tibus.

Ad quintum notanda prius occurrit con-
tradictio P. Elizal. nam ex una parte docet
veritatem esse inventu facilem, & omnes
eam invenire posse; ex alia impossibilitatem,
vel saltem summe difficultatem medium eam
inveniendi, nam assignat pro medio, *florere
in charitate, humilitate, librorum asceticorum
lectione, jugi meditationes* quae omnia sunt api-
ces Christianae perfectionis, si bene exerce-
antur; si enim male, non erunt medium pro
veritate inveniendae: ergo dicit contradictio-
ria. Secundo notanda est impossibilitas licite
operandi, admittit sententia P. Elizal. ut
enim aliquis juxta illum licite operetur, de-
bet probabiliter sibi persuadere, quod suffici-
enti diligentia pro inveniendae veritate usus
fuerit: ergo cum, juxta Celladei, *probabile
sit plerumque contingens*, debet plerumque
contingisse, quod in studio aeternorum plerumque
non defecerit: quis autem, dum vitam aggre-
ditur spiritualem, habens evidentiam, quod
plerumque defecerit, formare poterit judi-
cium illud, quod plerumque non defecerit?
Ergo talis homo numquam poterit licite
operari. Tertiò notanda est alia contradi-
ctio; nam docet, quod omnes invenire possint
per sufficientem diligentiam veritatem
moralem, quia Deus homines plenissime
suam legem docuit: ex alia parte docet, vix
posse aliquem sibi probabiliter suadere, se
sufficienti diligentia usum: ita lib. 4. qu. 6. §.
2. pag. 209. immò vult esse impossibile de-
terminare, quae sit sufficientis diligentia, ut
supradixi ex P. Moya tom. 2. qu. 5. §. 7. à n. 49. P. Moy.
quo posito, ita arguo: Implicat finis repug-
nantibus medijs, tantumque difficultatis
habet finis, quantum habent media: sed suf-
ficiens diligentia, quae est medium necessa-
rium ad veritatis inventionem, est omnino
difficilis: *Quilibet enim*, (sunt verba Cella-
dei) *timere potest, se non satisfacisse, quia ple-
rumque in studio aeternorum defecimus*; quod
ipsum fult docet 2. p. lib. 5. qu. 15. §. 5. per to-
tum pag. mihi 109. & iterum lib. 6. qu. 7. §. 5.
pag. 201. immò certa persuasio veritatis in-
ventae

N.
116.
Cellad.
Jan/en.
Baius.

N.
118.

vente est impossibilis : ergo veritatis inventio est impossibilis. Nec dici potest, non esse necesse, ut quis *certo* sibi persuadeat se invenisse veritatem; satis ut quis probabiliter sibi suadeat. Sed contra; quia ruit tota machina P. Elizal. contra licitum usum opinionis probabilis; si enim per eundem *probabilis* persuasio de sufficienti diligentia adhibita, & de veritate inventa satis est ad licite operandum, cur quælibet opinio probabilis, cum quælibet sit probabilis persuasio veritatis, non satis erit? Vides rigidum Anti-Probabilitam esse vulgarem Probabilitam. Contra 2. quia adhuc admissa eâ responsio, sequuntur nova, juxta doctrinam P. Eliz. contradictoria; ita enim arguo: Quilibet in studio eternorum plerumque deficit: ergo nullus talis concipere potest iudicium probabile, quod hic, & nunc non deficiat: ergo nullus talis potest licite operari. Prima consequentia probatur: Iudicium *probabile*, quod hic, & nunc non deficiat, est, juxta Celladei, iudicium, quod plerumque se non defecisse contigerit: sed qui habet iudicium, quod plerumque defecerit, non potest habere iudicium, quod plerumque non defecerit: ergo nullus talis potest concipere iudicium probabile, quod hic, & nunc non deficiat: ergo vel falsum est, quod *probabile* sit de objecto plerumque contingenti; vel si hoc verum est, nullus poterit, juxta P. Elizal. licite operari, nisi jungat duo iudicia contradictoria.

N. Omitto acutam contra Celladei, P. Teril. 120. *qu. 20. n. 14.* & P. Moyæ *tom. 2. qu. 5. n. 34.* Cellad. P. Teril. P. Moy. illationem: si enim veritas est adeo facilis inventu, cur non edidit librum veritatum moralium, quo nullus utilior expeti posset? Omitto etiam irreverentiam, quæ ex doctrina P. Elizal. necessario sequitur contra alterutrum ex duobus æquæ doctis, & Sanctis Ecclesiæ Doctoribus sibi contradicentibus: si enim veritas est adeo facilis inventu, & culpa nostra est, quod non invenitur, quia non floremus in charitate, humilitate, &c. sequitur, quod quoties S. Thom. & S. Bonav. sibi contradicunt, alteruter eorum non bene oraverit, non humilis fuerit, &c. sed hoc dici nullo modo potest sine irreverentia: ergo veritas non est invetu facilis. Addo me ex hoc ipso oppositum inferre; uterque ex dictis Ecclesiæ Doctoribus usus est diligentia sufficienti, ut veritatem inveniret, & tamen uterque non invenit, nec dixit verum, licet uterque dixerit verosimile ex gravatione: ergo veritas omnis, ne quidem ab ipsis Ecclesiæ Doctoribus est facilis inventu. Lege P. Moyam, & P. Teril. & præ cæ-

teris M. Tapia *tom. 1. lib. 3. qu. 9. art. 7.* qui M. Tap. rejicit omnino ea omnia, quæ tamquam certa supponit P. Elizal. asserens medium necessarium ad expellendam ignorantiam esse humilitatem, charitatem, orationem, conversionem ad Deum; quæ, inquam, omnia rejicit Sapientissimus Archiepisc. Tapia, cujus verba ferè ad verbum infra dabo omnino legenda.

Deinde, ut propius ad directam respon- N. sionem accedam, dico, quod tantum absit, 121. ut verum sit, quod nulla opinio, etsi probabilior, immò moraliter certa, minus tamen tuta, si falsa sit, excuset à peccato, ut vult P. Elizal. quin evidens est oppositum, ut bene P. Suar. 1.2.d.12. & P. Moyæ *tom. 2. qu. 5. n. 34.* immò oppositum est mihi hodie de fide certum, nam inter damnatas ab Alexandro VIII. tertia est, *Non sufficit opinio probabilissima*: ergo est certum de fide, quod sufficiat; ergo multò magis est verum, & certum quod moraliter certa sufficiat. Addo me prius nescire, quid amplius ad prudenter operandum requiri possit, quam certitudo moralis; si enim, ut supra dixi *sect. elapsa* ex P. Elizal. *lib. 2. fidere viro fide digno nihil est prudentius*, licet ejus dictum possit esse falsum, ut testificatur idem Celladei *lib. 2. qu. 8. §. 5. pag. 90.* quanto magis fidere rationi moraliter certæ? Quod autem P. Elizal. & Fagnanus *n. 112.* frequenter jactant, veritatem esse facile assequibilem, præter ea, quæ mox dixi; vix enim aliqua datur opinio, quæ non habeat Doctores doctrinæ, & pietate celebres, inter se de veritate certantes: præter hæc, inquam, dico, quod P. Elizal. meo iudicio confundit veritates universales cum particularibus, quarum aliquæ sunt adeo remotæ ab illis, ut vix sciri possit, an sint cum illis connexæ, an non: sicut ergo in omni arte, & scientiâ prima axiomata facile patent, ut ait Philosophus *lib. 6. Ethic. cap. 3.* solâ enim apprehensione terminorum patent, nec sunt demonstrabilia, aliâs iretur in infinitum: attamen veritates particulares omnino difficulter sciuntur, ut constat ex Philosophiâ, quæ sive sit Thomistica, sive Scotistica, ipsæ nititur principiis, & tamen quot conclusiones contradictoriæ inferuntur? & ideo B. Albert. M. B. Alb. in 3. *dist. 22. art. 16.* circa medium, dixit: Ma. n. *Juris ignorantia est duplex, quia quoddam est universale, quod proponitur omnibus ad sciendum; & quoddam est particulare, quod non sciuntur, nisi per studium;* de quo etiam legi potest Caram. *tom. 4. Theol. Mor. Fundam. in Caram. Prodrum. Dialaxis n. 83. pag. mihi 48.* & S. Th. S. Tho. in 3. *Ethic. cap. 5. lectione 11.* ubi ait: *Diffi-* CH. TA-

cultates juris non tenentur omnes scire, quia nec possent. Idem conitat ex jure Civili, & Canonico, quorum regulæ generales facile patent, difficulter autem sententiæ, conclusiones, & decisiones particulares, licet quilibet Jurisconsultus, & Canonista iisdem legibus, & regulis generalibus assentiantur. Rursus, (ut ipse P. Eliaz. exemplo utar, quod contra nos armat, & tamen est evidenter contra illum,) sicut in Scētis, vel Religionibus, Religio vera est quidem quoad aliqua principia generalia, comparata cum non veris, facile discernibilis, & invenibilis, adhuc tamen Catholici iisdem fidei principiis inherentes, in pluribus, quæ iisdem veritatibus revelatis niti videntur, sibi contradicunt: ex. gr. omnes conveniunt, Deum esse simplicissimum, & tamen Scotista distinctionem ex naturâ rei inter attributa statuunt, alij negant: omnes Deum esse immutabilem, & liberum, & tamen quot (bone Deus!) circa libertatis Divinæ cum Divinâ immutabilitate compositionem opiniones contradictoriæ! omnes Humanitatem Verbo physice unitam, & tamen uni dicunt unitam tantum immediate Filiationi, alij immediate etiam Naturæ Verbi: omnes Humanitatem mereri ob unionem cum Verbo, & tamen uni inferunt meritum esse infinitum, alij negant: omnes peccatum esse Dei offensam, & tamen uni volunt esse infinitam, alij finitam: omnes in *tr. de Gratiâ*, aliquibus concessum fuisse privilegium, quod numquam venialiter peccarint, & tamen uni hoc privilegium soli Deiparæ reservant, alij extendunt ad S. Joan. Baptistam, alij ad S. Jacob. minorem, M. God. de quo videri potest M. Godoy *tom. 1. in 1. 2. d. 45. n. 3.* omnes Beatum concurrere ad Gabriel. visionem, & tamen Gabriel affirmat concurrere tantum passivè, alij etiam activè: omnes, quod beatitudo formalis detur, an autem consistat adequatè in solo actu visionis, ut S. Thom. *1. 2. qu. 3. art. 4.* cum suis, an etiam in amore beatifico, ut S. Bonav. P. Suar. & alij, est inter Doctores contradictio: omnes dari de facto peccatum commissionis, an autem consistat formaliter in privativo, ut volunt Scotista, & Nominales cum aliquibus Thomistis, & P. Suar. P. Val. & alijs; an in positivo, ut Caietanus, Medina, & plerique Thomista, P. Vasqu. P. G. Hurt. & alij, P. Vasq. non conveniunt inter T. T. omnes conveniunt dari fidem Christi D. an autem omnes cam audierint, negat S. August. affirmat S. Chrysost. & S. Thom. quæ sententiæ sunt inter se contrariæ, ut ait P. Eliaz. *3. p. lib. 7. qu. 12. §. 1. pag. 54.* & ex ejus decisione sequitur decisio quæstionis, an necne detur in

Gentibus invincibilis ignorantia fidei. Omitto infinitas alias quæstiones inter T. T. controversas, & unice adverto, quod Theologi five aliquam ex recitatis sententijs affirmet, five negent, omnes suam sententiam probant ex Scripturâ, ex Concilijs, ex Patribus: ergo certissimum est, quod licet principia generalia fidei sint invenibilia, non tamen conclusiones particulares, quæ ex illis inferuntur. Ita accidit in materiâ morum: doctrina universalis morum, seu prima morum generalia principia sunt facile invenibilia, comparative ad eorum contradictoria; at conclusiones particulares ex illis deductæ sunt omnino inventu difficiles, & eò magis, quod magis se elongant ab illis generalibus principijs, & novis circumstantijs miscentur: ex. gr. icimus ex Evangelio Deum colendum, & amandum, quando tamen, & quoties in anno nescimus: icimus inimicum diligendum, & ei benefaciendum, & tamen quo, & quali speciali benevolentia signo nescimus: icimus licitam esse sui, & bonorum suorum defensionem; castitatem præferendam matrimonio; omnem usuram, & simoniam illicitam esse; die festo ab omni servili opere, quod necessarium non sit, abstinendum; subveniendum ex præcepto charitatis pauperi; secretum illibate servandum; & tamen nescimus sæpe an hic, & nunc teneat præ alijs subvenire proximo; an hic, & nunc licitè uti possimus æquivocatione, nè secretum prodatur; an huic homini melior sit castitas, quam matrimonium; an talis modus sit inculpatæ sui defensio; an talis contractus sit usurarius; an hoc pactum sit simoniacum; an hoc opus sit servile; hæc, & alia nescimus. Quare sicut notæ, quibus evidenter convincitur credibilitas nostræ Religionis, probant eam esse amplectendam, & esse veram quoad ea, quæ certò constar esse revelata, non quoad ea, quæ inter Catholicos dubia sunt, an sint revelata, & an Scriptura hoc, vel oppositū dicat, potest enim utrumque esse probabile, quod sit, & quod non sit revelatum; ita eadem notæ probant doctrinam morum quoad ea, quæ certò præcepta sunt, esse veram, & honestam, non tamen quoad eas opiniones inter D. D. Morales controversas, & dubias, quarum utraque potest esse probabilis. Lege P. Thyrsium *P. Thyrs. tom. 4. d. 6. n. 38.* qui hoc obiter docet.

Ad rationem, & primam confirmationem N. respondeo, quod si ignorantia immixta in 127. poenæ peccati actualis, nullo modo, dum actu peccabatur, fuit prævisa, ea ignorantia est omnino invincibilis; quia ignorantia, cujus expellendæ nulla occurrit cogitatio, aut

aut dubitatio, dicitur invincibilis; implicat enim, ut moraliter vincatur, quod non cognoscitur, ut omnes fatentur apud P. Moyam 2. p. qu. 5. n. 41. ergo si Petrus hodie furans nihil cogitet de mendacio craftino, quod cras putet ad suae vite tutelam esse necessarium; esto hæc ignorantia sit poena furti hereditaria, & consequens ad furtum, adhuc hæc ignorantia erit omnino invincibilis, & Petrus mentiendo non peccabit. Quod si ignorantia craftina sit hodie prævisa, & vincibilis hodie in causa, adhuc dico, quod eadem cras poterit esse invincibilis; quod enim hodie sit vincibilis, non facit, quod cras sit vincibilis, si nulla ejus vincendæ occurrat cras dubitatio; immo sicut, ut hodie sit vincibilis, debet hodie prævideri immittenda, & si hodie non prævideatur, hodie non erit vincibilis, scilicet invincibilis; ita ut cras sit vincibilis, necesse est, ut cras occurrat obligatio eam repellendi; ergo si cras non occurrat, ignorantia erit cras invincibilis, & mendacium cras proferendum non erit denuo imputabile ad culpam. Omitto, quæ contra P. Elizal. trahit P. Moyas l. c. §. 6. nempe, quod si ignorantia in poenam peccati immixta non excusat à peccato, daretur sæpe casus, in quo aliquis quomodolibet se gerat, peccabit: fac enim, ut Theologus doctrinæ, & pietate celeberrimis tibi dicat, te debere, ut innocenter damnatam liberes, mentiri: ecce, si non datur talis obligatio mentiendi, peccabis mentiando, quia facis contra præceptum non mentiendi; & peccabis non mentiando, quia tibi absque ullo conscientie remorsu certum moraliter apparet præceptum mentiendi hic, & nunc, ut proximum liberes: ergo iusto volenti, & conanti secundum præsentem, quas habet vires, aliquod Dei præceptum est observatu impossibile, & peccatum est necessarium: ergo ignorantia, etsi in poenam immixta, excusat à peccato. Plura P. Moyas. Ratio autem est, ut bene M. Tapia tom. 1. lib. 1. qu. 8. art. 7. quærens quid requiratur, ut ignorantia sit invincibilis, ait, eam derivari, vel ex omnimodâ oblivione, ac inadvertentiâ, vel ex magnâ advertentiâ, quæ adhibet sufficientem diligentiam, ut vincat errorem, aut ignorantiam, nec tamen potest; quod fute prosequitur lib. 3. qu. 9. ergo cum homo ille confusus insignem Theologum utatur sufficienti diligentia, ut sciat, an mendacium pro innocenti liberando sit licitum, & Theologus affirmet licitum, talis homo mentiando non peccabit.

N. Instas 1. ex P. Elizal. Omnes, qui verè sunt diligentes in curâ animæ suæ, possent formare judicium probabile de sufficienti dili-

gentia in quolibet casu particulari. Respondeo 1. hanc doctrinam contradicere alteri, ubi dicit 2. p. lib. 5. qu. 11. §. 6. pag. mihi 56. *quantitatem debiti, & obligationis diligentia taxari determinatè, & exatè à nobis non posse*: ergo si non potest taxari mensura diligentia, (est enim hæc mensura taxatu impossibilis) repugnabit etiam judicium probabile eam fundans. Respondeo 2. vel per *probabile* intelligit *verum*, vel verosimile ex gravi fundamento: si verosimile; ergo probabile potest esse regula morum, quod tamen tam grandi volumine improbat: si verum; contra est 1. quia cum per P. Elizal. lex Dei, & naturæ sit invenibilis, si quis eam non invenit, signum est, non fuisse usum debitâ diligentia; sed qui non est usus debitâ diligentia, concipere non potest judicium probabile, seu verum de eâ adhibita, quia per Celladei probabilitas conscientia fundatur in veritate: ergo implicat, ut ille concipiat judicium probabile de sufficienti diligentia: ergo si sequatur magis, si minus tutam, siue magis, siue minus probabilem, si coram Deo sit falsa, peccabit mortaliter. Contra 2. licet verum sit quod omnes verè diligentes in curâ animæ formare possint judicium probabile de sufficienti diligentia, attamen juxta Celladei, nullus dicere potest, se esse verè diligentem in curâ animæ suæ; cujus verba dedi in *responsione ad 5.* vult enim florere debere in charitate, &c. si qui autem sunt, paucissimi sunt; quid ergo facient, qui plerumque animæ suæ curam neglexerunt? Isti numquam poenitere poterunt, quia numquam formare poterunt judicium probabile; omnis enim probabilitas conscientia per Celladei fundatur in veritate, & in plerumque contingenti: sed qui nullam animæ suæ curam hætenus habuit, plerumque in sufficienti diligentia defecit: ergo talis numquam judicium probabile de sufficienti diligentia, & de veritate formare poterit.

Instas 2. Ignorantia poenæ non excusat à poenâ incurrendâ; ergo neque ignorantia culpæ à culpâ. Nego antecedens, si loquamur de poenis Ecclesiasticis, nempe censuris, excommunicatione, &c. ut videri potest apud P. Sanch. lib. 1. Sum. & lib. 9. de Mat. tri. d. 42. Deinde transmissio antecedente, nego consequentiam; quia de ratione culpæ est, ut sit libera; ergo ut sit præcognita; non autem de ratione poenæ, ut bene Palanco qu. 4. n. 4. & alij passim. Addo ex S. Thom. 1. 2. qu. 82. art. 3. quem sequitur M. Mercor. 1. p. Basis art. 4. quod poena per se annexa culpæ, qualis est poena æterna annexa mortali, non excusat, etsi ignoretur.

Instas

- N. Infas 3. Ignorantia vincibilis tollit voluntarium; & tamen non excusat à culpâ: ergo licet ignorantia invincibilis tollat voluntarium, non excusabit à culpâ. Respondeo ignorantiam vincibilem non tollere voluntarium in causâ, immò supponere, & ideo non excusare à culpâ; e contra invincibilem ignorantiam tollere, & ideo excusare.
- N. Ad secundam confirmationem respondeo non esse ad rem: si enim invincibilis ignorantia legis naturalis dari possit, ut plerique Catholici affirmant, si non possit, ut vult Wendrochius sæpe laudatus, & impugnatus à M. Baron. 2. p. Manuduct. d. 4. sect. 1. pag. 408. hoc certum est apud omnes Catholicos, quod si detur excusat: etenim mea, & communis doctrina est universalis de omni invincibili ignorantia cuiuscumque legis, siue naturalis, siue positivæ; eamque in sensu composito invincibilitatis dicimus excusare semper à peccato, quoties, & quandiu ea est invincibilis. Deinde dico, ferè certum esse apud T. T. & experientiam ipsam probare, quod detur invincibilis ignorantia juris naturalis. Licet enim jus naturale, quoad principia generalia, sit omnibus notum, non tamen quoad conclusiones particulares, ut patet tum in contractibus, in pactis, tum in alijs exemplis paulò antè adductis; aliqui enim talem contractum, aut pactum affirmant justum, alij negant: immò S. Thom. 1. 2. qu. 100. art. 11. ait, dari in aliquibus invincibilem ignorantiam circa fornicationem, & usuram: & qu. 3. de Malo art. 8. tamquam certum supponit in fornicatione; & idem docet M. Tapia tom. 1. lib. 4. qu. 2. art. 5. fusè, & clarè: idem circa mendacium tradit M. Bar. M. Baron. 2. p. Manuduct. d. 4. sect. 1. art. 3. §. 1. & 2. pag. mihi 356. & 359. & 402. Idem M. Mer tradunt M. Mercor. apud, & cum P. Moya tom. 1. lib. 1. qu. 6. n. 27. P. Vasqu. 1. 2. d. 122. P. Valq. M. Soto lib. 5. de Just. Card. de Lugo d. 19. de Fide n. 2. M. Araujo, qui trahit in exemplum mendacium, ut innocens liberetur, M. Prado tom. 1. quæst. mor. cap. 2. qu. 19. §. 6. P. Card. tom. 1. d. 15. n. 539. P. Ripald. tom. 3. de Ente d. 10. n. 2. P. de Champs passim de Hæresi Jansenianâ, P. Thyrsus tom. 4. Theol. d. 6. maxime sect. 8. asserens ne quidem doctos carere posse omni ignorantia invincibili juris naturæ; & à n. 127. immò sect. ultimâ per totam; Caram. tom. 4. Theol. Mor. Fund. in Prologo n. 84. & 86. pag. 49. Similiter dari posse in Hæreticis ignorantiam invincibilem circa mysteria Fidei, est certum ex S. Aug. S. August. citato in caput Dixit 24. qu. 3. P. Teril. Teril. qu. 16. n. 33. nec de hoc dubitari potest; multò minus de Infidelibus, nam op-

positum tradunt communiter ut certum, S. Thom. & Doctores, quos citat, & sequitur P. Vasqu. 1. 2. d. 120. cap. 3. & M. Joan. Mart. de Prado cap. 2. de Peccatis qu. 12. §. 4. & 5. P. Oviedo 1. 2. rr. 6. contr. 6. pun. 4. P. Moya tom. 2. qu. 9. n. 47.

SECTIO IV.

Appendix ad dicta de invincibili ignorantia.

§. I.

Conclusiones P. Elizalde.

SUMMARIUM.

Vult, quod alibi dicta intelligenda sint juxta has suas conclusiones, n. 136.

Ait, quod si relative ad vires naturæ loquamur, possibilis sit etiam in integrâ natione, totâ vitâ invincibilis fidei, & Decalogi ignorantia, sine remorsu oppositi, n. 137.

Ait invincibiliter errare, qui putat suas rationes probabiles, & assensu dignas, ibid.

Celladei, qui omnem probabilitatem everterat, tandem ei adhaeret, n. 138.

Aserit possibilem juris naturalis, & Divini, & fidei ignorantiam ad tempus, n. 139. 140.

Ait, quod sit puerilitas indigna Theologis quærare, quid eventurum ei, qui fecit, quod in se fuit, & moriatur antequam instruat, n. 141.

Rejicio, n. 142.

Ait possibilem pro totâ vitâ invincibilem ignorantiam eorum, quæ non sunt necessaria necessitate mediæ, ibid.

Dicit Hæreticos eo tantum tempore invincibilis ignorantia laborare, quæ faciunt quod in se est, n. 143.

Ait contra Jansenium, quod post legem promulgatam nulla sit differentia inter legem naturalem, & positivam, n. 144.

Ait se magis inclinare ad negandum invincibilem legis naturæ ignorantiam, n. 145. 146.

Obligatio faciendi importat obligationem querendi, & sciendi, ait P. Suar. ibid.

Dicit, quod Tribunalia supponant ignorantias esse vincibiles, & ideo Ecclesia punit Hæreticos, n. 149.

Vult hoc dilemma esse peremptorium: Vel quod non satis promulgavit, vel quod culpa hominis sit, quod non inveniat, ibid.

Minatur Confessoribus idiotis, & ijs, qui supponunt invincibiles ignorantias in penitentibus, nec eorum officij esse eos docere, n. 150.

Assignat varias mensuras pro diligentia adhibendâ, n. 152.

N. Pater Elizal. conficius fortè contradic- 136.
tum tibi familiarium, 3. p. lib. 7. qu. 11. §. 8. P. Eliz.
cujus